



IN NOMINE JESU!

PSALMI I. DISPOSITIO.

Beatitudo vera. Pius ut arbor floret.



DSalmus hic, qui à plurimis habetur proœmium ac brevis summa totius libri sequentis, tria complectitur membra: I. Statum piorum, II. impiorum, III. utriusque causas & originem.

I. Hominis pii describuntur partim (α) **STUDIA**, nempe *privative*, quod non (1) ambulet in consilio impiorum, (2) non stet in viâ peccatorum, (3) non sedeat in sede derisorum; (*vers. 1.*) & *positive*; quod in Lege Dei ejus 1. voluptas, ac 2. indefectum studium, seu meditatio: (*vers. 2.*) partim (β) **CONDITIO** accommoda; quæ proponuntur *generatim* primâ voce, *beatus*; dein

A figuratè, per similitudinem arboris frugiferæ ac immarcescibilis; & *proprie*, quod omnia, quæ agat, prosperè succedant. (*vers. 3.*)

II. Impii, quorum studium jam indicatum est triplici ipsorum titulò (*vers. 1.*) jam per antithesin subjiciuntur piis ratione diversæ fortis ac **EVENTUS**, qui *generatim* proponitur verbis: *non sic*; & deinde *metaphorice* designatur simili glumæ; (*vers. 4.*) *proprie* verò ratione exturbationis 1. e *judiciò DEI*, & 2. congregatione justorum. (*vers. 5.*)

III. Causa diversæ hujus conditionis ponitur ratione 1. *piorum*, Dei paternus favor ac cognitio; ratione 2. *impiorum*, Dei justitia, impiorum viam non potens non perdere: (*vers. 6.*)

PSALMUS I.

EXPLICATIO VERSUS I.

אשרי דאיש, *Beatus vir*: vel, beatitudines aut progressus illius viri, scil. sunt aut erunt. Sic orditur David ab ipso Summo bono, tantoperè à Philosophis undique quæsito, nullibi tamen verè repertò. Hujus ergò acquisitionem possessoremque jam describit, præmissâ ejus felicitate, ceu præmiò certissimo. In Ebr. est אשרי האיש quod prius nonnulli accipiunt pro nomine plur. in regim. posito, uti Chaldaus quoque reddit, טוביהו רגבר & Syrus: טוביהו רגברא *beatitudines viri* (qui posterior eodem quoque modo effert μακαριστους illos *Matth. 5. 3. seq.*) LXX. μακαριστοι ο ανις, ita Tarnovius, latè hoc probans in *exer. bib. p. 761.* Alii verò, ut nuperrimè Coccejus, malunt esse *interjectionem, adverbium, vel particulam*, formæ אשרי אשרי, ut sit exclamatio rhetorica, intimum Prophetæ pandens animum, qui ex abruptò quasi, versatis diu vanis hominum studiis, prorumpat tandem; *o beatè illum! &c.* Sic *Schindl.* in *Lex. aliique*, urgentes imprimis hoc, quod nulla planè nominis forma dari queat, ad quam hoc *Aschèrè* analogicè reduceretur; quos ipsos insigniter etiã juvaret locus *Cob. X. 17.* אשריך אר' *benè te o terra!* cum in membro priore præcesserit similis particula *vers. 16.* אר' לך אר' *va tibi!* Sit tamen, quicquid sit, innuitur hacce voce singularis, vera, ac constans tam corporis quàm animæ felicitas, ubi cuncta succedunt ex votò, (non quidem carnis, sed spiritus rectè sentientis;) & quam excipit tandem æterna in cælis beatitudo. Confer *Job. V. 17. Psal. XXXII. 1. 2. XXXIII. 12. XXXIV. 9. LXXXIV. 5. Dent. XXVIII. 3. seq. bene-*

B dictus domi, foris, &c. Huc & illud *Kimchii*, qui propterea dicit in plurali poni, *Beatitudines, quod non unum tantum genus boni aut הצלחה (prosperitatis) sufficiat ad beatitudinem, sed quod טוביהו טוביהו bona multa debeant concurrere.* Radix hujusce vocis est אשר *incessu*; & in piel, *beatum predicavit*, in pual verò *beatus redditus fuit*, ut *Prov. III. 18. Psal. XLI. 3.* vide plura inferiùs ad *Psal. CXII. 1.* Subjectum porrò hujus beatitudinis emphaticè nominatur אשרי *ille ipse vir*, h. e. homo (sive virilis, sive fæminei sexus sit, ceu patet ex *Psal. CXII. 1. Job. V. 17. Exod. XIX. 13. &c.* Nam ut apud *JCTos* quoque, *tit. de verb. signif. n. 195.* dicitur: pronuntiatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumq; porrigitur; ita & h. l.) virilis planè, ingenui strenuique animi; hanc quippe prærogativam includit hæc vox præ aliis, ut sunt אר' *plebejos ac terrestres*, & אר' *viles ac infirmos* designans: ubi contra honoratioribus fortibusque tribuitur nomen אשרי *vir*; ceu patet ex *Psal. III. 3. XLIX. 3. LXII. 10. Jes. II. 9. 1. Sam. XXVI. 15.* Sic igitur & h. l. non tam sexus, quam animus virilis respicitur; nisi cum *Aretio Felino* simpliciter reddamus: *beatus ille, &c.* eò quod in Christo neque mas, nec fæmina reperiatur: *Gal. III. 28.*

אשר לא הלך בעצת רשעים *qui non ambulavit in consilio impiorum:* h. e. qui graviter detestatur conatus ac molimina pravorum hominum, adeoque nequaquam illis immiscet se, nec eorum imitatur technas modosque ditescendi, vel emergendi varios, sive iidem sint apertè inhonesti, sive etiam falsâ honestatis specie variè fucati. Est verò עצה *(à יעץ consuluit,) consilium, mentis*

A hinc